



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 1. Vtrum detur præceptum suscipiendi hoc sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

nistri, etiam quoad personam, aptior est, & certior in conficiendo sacramento: denique argumentum fieri posset in Eucharistia.

Atque hinc colligit Ruard. art. 11. posse hoc sacramentum à pluribus sacerdotibus simul confici: si vnus vnget aures, dum alios vnget oculos, & sic de aliis: quod in rigore verum videtur, quantum attinet ad substantiam sacramenti: quia non est de essentia huius sacramenti quod illæ vnctiones successiue fiant, nulla enim ratione probabili id ostendi potest. Sicut enim supra dicebamus ordinem vnctionum non esse de essentia: ita videtur manifestum successione non esse essentialem: nam par est ratio: sed vnitas personæ non est etiam essentialis: ergo, si illo modo ministraretur sacramentum, nihil essentialiter deest: erit ergo validum. Imo, si necessitas urgeat & mors infirmi timeatur, nõ videtur illicitum sic vngete: quia propter necessitatem omnia hæc accidentalia prætermitti possunt. Item: quia si ob necessitatem ex parte ministrari licitum est hoc sacramentum ministrari à pluribus personis; cur non ob necessitatem suscipientis, & timorem, ne subiectum & tempus deficiant? Denique hoc non est alienum à verbis Iacobi. *Inducat presbyteros Ecclesie, &c.* At vero sine necessitate hoc facere, illicitum esset propter rationes supra tactas. Sed quid si duo sacerdotes simul vngeant omnes sensus, vnus vnus oculum, & alius alium, & sic de cæteris? Respondeo hoc semper esse illicitum: quia nunquam potest esse necessarium, vel ad valorem sacramenti, quia sufficienter conficitur per singulas vnctiones sensuum, vt diximus, vel ad subueniendum necessitati infirmi: quia sacramentum non citius conficitur illo modo, quam si ab vno tantum per vnã vnctionem vnusquisque sensus fieret. Non est tamen dubium quin esset validum sacramentum, vt à fortiori ex dictis constat: an vero esset vnũ, vel plura, controuerti potest, & Ruardus significat esse vnũ: quia ex omnibus illis vnctionibus intelligi potest tota materia vnus sacramenti: estque probabile. Ego vero censo esse distincta, vt sint valida: quia necesse est vt vnusquisque intendat perficere sacramentum in dependenter ab alio quoad singulas vnctiones singulorum sensuum: quia alias nihil efficieret: nam illo modo non potest minister sacramenti esse partialis, vt in simili de baptismo probaui loco supra citato; estque eadem ratio in presenti.

DISPUTATIO XLIII.

De præceptis & ritu sacramenti Extremæ vnctionis.



VAE tantum personæ per se interueniunt in hoc sacramento, suscipiens, & ministrans, vnde ad illas possunt pertinere obligationes seu præcepta, si quæ sunt in hoc sacramento coniuncta. Hæc ergo explicanda supersunt in hæc materia, simulque dicimus de ritu, quoniam brevis res est, nullamque difficultatem, aut eruditionem requirit.

SECTIO I.

Vtrum fideles obligentur aliquo præcepto ad susceptionem huius sacramenti.

¹
no genera
præceptorum

Duo genera præceptorum soleo in hæc materia distinguere, vnũ voco quoad exercitium, vel vltim, estque illud, quod obligat ad suscipiendum sacramentum; aliud appello quoad specificationem, quod obligat ad modum seruandum in tali vsu, si fiat: quod per negationem solet etiam explicari, scilicet, non accipiendum sacramentum sine hæc vel illa

conditione: de vtroque igitur præceptorum genere breuiter dicemus.

Circa primum est communis opinio, nullum esse affirmatiuum præceptum de suscipiendi hoc sacramento, etiam in extremo vitæ discrimine. Ita D. Thomas in 4. dist. 23. articulo primo, quæstione tertia, ad primum, vbi in hoc sensu negat hoc sacramentum esse de necessitate salutis, non enim agit de sola necessitate mediæ, sed etiam præcepti, vt patet quia in hoc constituit differentiam inter hoc sacramentum, & Eucharistiam. Item sentit Palud. ibi quæst. 3. Soto quæstione 1. articulo primo, Supplement. Gabriel quæstione prima, Rub. vlt. Syluest. q. 9. Navar. c. 22. num. 16. Caietan. verb. *Vnctio extremæ*. Armilla, num. 1. Victoria in Summa, num. 219. Ruardus art. 12. Couarr. cap. *Alma*, 2. part. §. 2. num. 6. Qui fundantur: quia tale præceptum neque ex natura rei sequitur ex institutione huius sacramenti; nec inuenitur à Christo, vel ab Ecclesia traditum; ergo asserendum non est. Maior probatur: quia sacramentum hoc non est medium necessarium ad salutem, sed tantum vtile, & ad melius esse: ergo ex vi suæ institutionis non asserit secum præceptum. Minor vero patet; quia nec tale præceptum inuenitur scriptum; Iacobus enim promulgans hoc sacramentum, nullum verbum apposuit vim præcipiendi habens, sed simpliciter dixit, *Infirmus quis in vobis, inducat presbyteros, &c.* Neque etiam in Concilio Tridentino aliquid huiusmodi inuenitur; nam sess. 7. de Sacramento in genere solum dixit, non omnia esse singulis ad salutem necessaria; in sess. vero 14. agens de hoc sacramento tantum dixit, non posse à Christianis sine peccato contemni. Præterea Ecclesia cum tempore interdictionis permittat ministrari fidelibus ea sacramenta, quæ sunt necessaria, hoc minime permittit, vt patet ex cap. *Quod in te*, de penit. & remiss. & sequenti libro suo loco latius dicemus; ergo signũ est vsus huius sacramenti absolute non esse necessarium atque adeo non esse in præcepto diuino; de Ecclesiastico autem certum est nullum extare; ergo,

Ab hac tamen communitententia videtur dissentire Petrus Soto lect. 2. de hoc sacramento; sententiam sacramentum hoc sine peccato non omitti, etiam si per negligentiam omittatur, quod verum nõ esset, nisi esset sub præcepto. Fauetque huic opinioni Magist. in 4. distinct. 23. vbi sub distinctione ait, esse peccatum omittere hoc sacramentum, vel ex contemptu, vel ex negligentia, vbi in secunda particula indicat præceptum; vbi Bonauent. ibi in expositione textus illam particulam, vel, pro copulatiua, et exponit esse positam, quia nimirum singula membra sufficiunt ad tale peccatum. Vnde subdit, ita esse iudicandum de hoc sacramento, sicut iudicatur de sacramento altaris: ergo vel negat esse præceptum de sacramento altaris, quod credendum non est, vel affirmat esse de hoc sacramento. Videtur idemque fauere huic sententia Concilium Colonienſe anni 1536. p. 7. c. 50. dicens. *Est autem vnctio impendenda cum expositione vnctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet, infirmus quis in vobis, &c.* Et Concilium Senonense in Decretis fidei decreto 10. dicens. *Ne hic non ster vnctio infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dixit Iacobus, infirmus quis in vobis, &c.*

Veruntamen hæc sententia simpliciter loquendo de præcepto sufficienter fundari non potest, & ideo à communi sententia recedendum nõ est. Nam quod hoc sacramentum sit per se vtilissimum, & interdu ex accidenti possit esse necessarium, non satis ostendi præceptum per se annexum huic

sacramento ex vi religionis, aut charitatis Dei: hæ namque virtutes non obligant sub præcepto ad id quod melius est: neque enim charitas propria, vt per se constat. Et quamuis videatur quadam prodigalitas spiritualis, sine cogente causa perdere tantum spiritualem fructum; tamen intrinsece, ac per se nõ est peccatum mortale: quia sine illo fructu potest diligi Deus super omnia, & salus æterna obtineri. Neque etiam ex parte periculi, cui homo se exponit in articulo mortis omitendo tale remedium contra infidias inimici, est per se peccatum mortale: quia potest aliis modis subuenire sibi per orationem, & sacrificia: quia licet hoc sacramentum multum ad hoc conferat, non est tamen necessarium medium, nec ob illius carentiam exponit se homo morali ac proximo periculo peccandi mortaliter in alio genere, seu consentiendi alicui tentationi demonis. Denique neque ex consuetudine Ecclesiæ potest colligi tale præceptum: quia licet regulariter omnes qui possunt, hoc sacramentum recipiant in illo articulo, non est sub ratione obligationis necessaria, sed quia in illo momento, à quo æternitas pendet, omnes cupiunt securissimam adire salutis viam quoad possint, præsertim in re quæ sine difficultate aliqua fieri potest. Denique Concilium Coloniense loquitur late de mandato, vt includit quamcumque admonitionem, voluntatis superioris manifestantem voluntatem; vel certe loquitur de mandato explicante ritum & modum sacramenti, non vero præcipiente simpliciter vsum eius. Concilium autem Senonen- sen non agit de præcepto huius sacramenti, sed de illo speciali mandato, quo præcipit Christus Apostolis vt infirmos curarent, Marc. 6.

Sed licet hæc, per se loquendo, vera sint, omnes Doctores aduertunt in duobus casibus posse in hac omissione interuenire peccatum mortale. Primus est ratione scandali, quæ ratio generalis, & accidentalis est, vt per se constat. Oportet tamen aduertere, scandalum proprie esse, quando ex vnus factio alii ad peccandum excitatur: quod scandalum tunc maxime est peccatum mortale, quando alii inducuntur ad peccandum mortaliter, efficaciter, vel cum periculo morali, quantum est ex parte operantis. In præsentem ergo raro interuenit huiusmodi scandalum in hoc rigore & proprietate, tum quia ex eo quod aliquis sit negligens in sumenda vnctione extrema, rari sunt qui inducantur ad similem omissionem, cuius occasio tunc non occurrit: tum etiam, quia licet ad hoc inducerentur exemplo alterius, non inducerentur ad peccandum mortaliter, per se loquendo, vt ex dictis constat: & ideo ex eo solo capite non esset proprium & rigorosum scandalum. Possent tamen eam rationem habere, si eo exemplo inducerentur fideles, vel ad paruipendendum hoc sacramentum, vel ad negligenda generaliter remedia suæ salutis, vel ad indicandum temere & cum publica detractioe de salute spirituali talis personæ, vel alia similia, quæ respectu communitatis nõ sunt sine graui periculo multorum peccatorum mortali- um, vel certe non sine graui detrimento spirituali eiusdem communitatis, quod interdum potest sufficere, vt scandalum sit graue peccatum, vt suo loco dicendum est latius.

Alter casus est quando ex contemptu hoc sacramentum omittitur, quem ponunt expresse omnes Theologi, & Summistæ, & illum approbat Concilium Tridentinum, quanuis non definiat tunc esse peccatum mortale, sed simpliciter doceat, non posse sacramentum hoc sine peccato contemni. Et merito ita loquitur, quia in contemptu possunt esse gradus, & aliquis potest esse leuis, saltem ex imperfecta deliberatione: regulariter vero talis contemptus peccatum mortale est, multum enim derogat religioni, & reuerentiæ debitæ sacramento, Vnde in Concilio Colon. sub Adolpho cap. vlt. sic habetur, Fr. Suarez tom.

A Relatum nobis in Concilio est, impios quosdam homines infirmitatis sua tempore vnctionem sacram respuisse ac contempisse: quam obrem statimus, vt si quis sacramentum illud, nobis ab Apostolo Iacobo tantopere commendatum, contempserit, Ecclesiastica careat sepultura. De hoc vero contemptu quid, & quando sit, in materia de Legibus ex professio declaratur, & videri potest. Nauarr. cap. 23. num. 42. Quidam vero putant hic sufficere ad contemptum quod quis sciens & videns, directe nolit recipere sacramentum hoc, licet ad id solum moueatur ex notabili negligentia seu accidentia, aut ex nimio aliquo timore humano, ita sentit Maior. 4. d. 23. vbi videri debet Richard. & Michael. Episcopus Vespergenis in Catechif. concione 75. & 76. Ruard. supra asserit, vix posse aliquem excusari à peccato mortali, qui ex graui negligentia sacramentum hoc prætermittit. Sed in rigore hoc satis non est ad contemptum, licet moraliter præsumatur: si tamen quis solum moueretur ex ea, quod non est sibi præceptum, & aliunde repugnantiam, vel difficultatem sentit, non esset contemptus, nec mortale peccatum, per se loquendo, & seclusis aliis periculis, vel scandalis. Oportet ergo vt quis paruipendat sacramentum, & fructus eius, qui modus contemptus vix potest in aliquo reperiri, nisi labore aliquo errore, vel hæresi circa tale sacramentum. Et iuxta hæc intelligendum puto quod Nauarrus supra dicit, peccare grauius eum: qui hoc sacramentum non petit filio, aut seruo, famulo, pupillo, aut alii suæ curæ commisso. Nam videtur hoc intelligendum, quando id petere omittit ex contemptu. Quem sensum indicat ipse Nauarrus. nam dixerat peccare eum, qui sibi non petit, quando id omittit ex contemptu & subdit, idem si non petit filio: ergo eodem modo intelligendum hoc est: vel in vniuersum, quando filius, vel subditus omitendo peccat mortaliter, alioqui non apparet cur debeat hoc esse peccatum graue in superiori, si in ipsomet, qui sumpturus est, non est graue peccatum: nam ille non tenetur eum tanto rigore procurare alteri spiritualis comodis, quæ præcepta non sunt, vt ex eodem Nauarro sumi potest cap. 24. numero. 57. Secus vero esset in superiore religionis, vel etiam in parochio, qui speciali obligatione officii sui ad hoc tenentur.

Tertius casus potest hic addi, qui iam sæpe tactus est, quando infirmus non possit aliud sacramentum suscipere: nam tunc videtur esse medium maxime necessarium ad salutem, vt sentit Palud. d. 23. q. 1. art. 3. conc. 4. Sed hic casus in primis rarissimus est: quia hoc sacramentum non potest nisi à sacerdote ministrari, vel igitur penitens ratione vtitur, & sentit, & sic confiteri poterit, cessabitque illa necessitas: vel omnino non sentit, & tunc non est capax talis obligationis, nec potest sacramentum postulare, sed alii ex officio tenebuntur ministrare. Rarissime ergo potest fingi talis casus, nisi tunc fortasse, quando sacerdos non vult confessionem audire, vel est tam igno- rans, vt nesciat absolutionem proferre, sciat autem vnctionem ministrare, vel denique si omnino non potest confessionem audire, aut infirmus non audet confiteri illi sine grauisimo periculo, vel scandali, vel alterius detrimenti, quod ex vnctione non timet: quæ omnia excogitari potius, quam moraliter accidere possunt. Admissio vero illo casu, adhuc videtur valde incerta illa obligatio: quia vel infirmus contritus est, & moraliter ita iudicat, & tunc videtur cessare obligatio: quia iam non est illi sacramentum hoc necessarium: & aliunde non est per se præceptum, vel cognoscit infirmus se esse tantum attritum, & tunc non potest licite suscipere hoc sacramentum cum ea sola dispositione, ergo non sumendo non peccabit immediate contra hoc sacramentum, seu illud omitendo, sed non habendo contritionem, quam si habeat, iam cessat altera obligatio, vt argumentabamur. Responderi vero po-

Quando in omissione huius sacramenti detur peccatum. Primus casus ex scandalo.

Secundus casus ex contemptu.

Conc. Colon.

Nauarr.

Maior. Richard. Ruard.

Nauarr.

Tertius casus, quando infirmus nõ potest aliud sacramentum suscipere.



est, hanc obligationem tunc vigere, etiam si homo reputet se contritum, eo quod facile decipi potest, & in re ipsa non habere contritionem, & ob eam causam damnari, ideoque gravi periculo suæ damnationis videtur se exponere omitendo hoc sacramentum. Quæ ratio est satis apprensiva quantum ad obligationem ex charitate propria, propter damnum irreparabile, quod imminet, & propter difficultatem, & incertitudinem veræ contritionis. Et mihi certe valde probabilis res est, quantum non adeo certa, quam aliis sit locus opinandi oppositum, dicendo, eum, qui moraliter est certus de contritione, non se exponere periculo, etiam si alia media, quæ præcepta per se non sunt, omitat. maxime cum non sit certum sacramentum hoc facere ex attrito contritum. Sed ego maiorem diligentiam censeo pro salute æterna adhibendam esse, ex lege saltem charitatis.

8
De secundo
genere præ-
ceptorum.

Virum te-
neatur in-
firmus pri-
us suscipere
viaticum
quam hoc
sacramen-
tum.

De secundo genere obligationis seu præcepti pertinentis ad specificationem seu modum actus, pauca dicenda supersunt. Nam in superioribus diximus teneri infirmum suscipere hoc sacramentum sine conscientia peccati mortalis, atque adeo existimans se esse contritum, seu in gratia: quia hoc est sacramentum viatorum, ut satis eo loco dictum est. Quæri vero potest ulterius, an teneatur infirmus prius suscipere Viaticum, quam sacramentum hoc, & ferè idem de paroco quæri potest, an teneatur prius illud sacramentum, quam hoc ministrare. Conclusio enim Ecclesiæ hunc ordinem observat, unde videtur cadere sub præceptum. Respondetur, certum est viaticum non esse dispositionem per se loquendo requisitam ad hoc sacramentum: quia vtrumque sacramentum per se supponit iustitiam, & illa est dispositio ex natura rei sufficiens ad dignam susceptionem cuiuscunque sacramenti, vnum vero non est dispositio ad aliud ex natura sua, nec ex speciali ordinatione, cum de hoc non inveniatur præceptum. Unde propter rationabilem causam certum est posse dari Vñctionem sine Viatico, quando vel illud haberi non potest, vel non sine vomitu, aut alia irreverentia sumi, ut recte docuit Aleuin. lib. de Divi. Offic. c. 40. Vbi etiam significat si fieri possit, poenitentiam, & communionem esse præmittendam: eadem vero ratione poterit mutari ordo, quando servari non possit sine mora, in qua periclitaretur vita infirmi. Seclusa vero aliqua huiusmodi causa, servandus est ille ordo, propter consuetudinem: & quia ille ordo videtur satis consentaneus rationi, & institutioni vtriusque sacramenti: illud enim ut cibus ad confortandum in via præbetur, & ideo ut detur non est expectandum ultimum vitæ periculum: hoc vero sacramentum exentiū est, quæsi in ultimum subsidium institutum. Non opinor autem hunc ordinem adeo esse rem grauem, ut si absque contemptu præmittatur, ad peccandum mortaliter sufficiat: quia non existat adeo clarum præceptum de hac re. Nam decreta, quæ ad hoc adduci solent ex Innocentio Epist. 1. & Concil. Vormatiens. cap. 7. falso citantur. Consuetudinem vero non constat esse sub hac apprehensione obligationis, & præcepti de ipso ordine, sed quia ipsa rerum dispositio hoc possit, & Doctores, qui de hoc loquuntur, non id docent ut necessarium. Adde antiquum morem fuisse, & nunc etiam servari alicubi esse consuetudinem servandi viaticum in postremum locum: quia est finis sacramentorum, & omnia ad illud quodammodo referuntur, ut loquitur D. Thom. 3. p. quæst. 63. artic. 3. Ita refert Supplem. Gabr. dist. 23. qu. 1. artic. 3. dub. 3. & ex cap. Ab infirmis, 26. q. 7. potest sumi non nullum argumentum ab ordine licet: dicitur enim infirmos post confessionem sacra vñctione inunctos, communionem viatici esse respiciendos. Idem colligitur ex Bernardo in vita S. Malachie, Vngitur (ait) Episcopus, & sumpto viatico, ad lectum reuertitur, & ex Petro Vene-

D Thom.
Gabr.
Aleuin.

rabili, lib. 3. Epist. 4. ibi, A Domino Vñctiensi Abbate eum inungi, ac sacri corporis viatico resuscitatus. Surtius etiam die 15. Augusti in vita S. Arnulphi Suevici Episcopo. cap. 50. refert prius ipsum fuisse inunctum die Sabbathi, postea vero ad vesperam viatico sumptis. E. B. Gertrudis lib. 5. Diuinarum infirmitatum, cap. 29. refert, ægrotis in primis ministrari solum sacramentum poenitentiae, deinde Extremam vñctionem, ultimo Eucharistiæ in viaticum. Nec desuit congruentia huic consuetudini vel quæ supra insinuata est, quod Eucharistiæ est finis omnium sacramentorum, & ideo esse debet executioni vltimæ: vel quia decet, ut post perfectissimam animæ purificationem, tam quoad culpas, quam quoad reliquias carum, suscipiatur: vel quod perinde est: quia cum Extrema vñctio sit consummatio poenitentiae, illi debet proxime coniungi: ut perfecte hominem disponat ad Eucharistiæ. Vel denique quia viaticum, ut tale est, maius periculum, seu propinquitatem mortis requirit, quam vñctio: quia viaticum per se solum dandum est his, qui discessuri sunt, nec datur eis ut retineantur (ut sic dicam) sed ut proficiantur. Vñctio vero datur, ut in vita retineantur si expediat: & ideo magis datur ut curentur, quam ut vadant, & ideo per se videtur prius danda. Quocirca, cum dicitur in Carechismo Pij V. p. 2. c. 6. n. 12. Quoniam omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediatur, ei vero nihil magis aduerjatur, quam alicuius peccati mortiferi conscientia, seruanda est Ecclesiæ Catholice perpetua consuetudo, ut ante Extremam vñctionem, Poenitentiam, & Eucharistiæ sacramentum administraretur. Hoc (inquam) quod de perpetua consuetudine dicitur, vel referendū est ad solum sacramentum Poenitentiae: quia ratio in principio verborum posita non aliud probat. Nam conscientia peccati mortalis non tollitur per Eucharistiæ, sed per poenitentiam: alia potest retorqueri ratio, scilicet, Quia curandum est, ne gratia sacramenti Eucharistiæ impediatur, Poenitentiam, & Vñctionem præmittendam esse, &c. vel certe intelligi potest de Eucharistiæ ut absolute cibus animæ est, non ut viaticum. Vel denique loquitur de communi consuetudine Ecclesiæ Romanæ, aut Catholice maiori ex parte, non vero de omnibus eius provincis, vel religionibus. Et hoc satis est, ut hic ordo convenientior a nobis iudicetur. Qui etiam si dari potuit in hoc quod Eucharistiæ multo citius, & facillius datur infirmis, quam Extrema vñctio: quia non habet solum rationem viatici, sed etiam cibus, qui semper necessarius est: postquam autem semel accipitur, regulariter sæpius non datur eidem infirmo, etiam si ad extremum deveniat, propter difficultatem, vel propter reverentiam, aut propter Parochorum morem, qui suo muneri satisfecisse videntur vñctionem extremam addendo. At si post acceptam vñctionem infirmus petat Eucharistiæ, licet illam antea receperit, illi neganda non est, si aliud non obstat. Et hoc fortasse modo accidit in exemplis in contrarium allatis: nam ex eis solum habetur, Eucharistiæ datam fuisse post Vñctionem, non vero quod antea etiam suscepta non esset.

Tandem vero quæret aliquis, an is, qui habuit conscientiam peccati mortalis, debeat necessario præmittere confessionem ante hoc sacramentum, si ratione utatur, & confiteri possit, Respondeo, ex vi ordinis sacramentorum id non esse per se necessarium, licet concomitanter possit aliunde se præinteruenire talis necessitas. Prior pars declaratur quia ad digne suscipiendum hoc sacramentum, sufficit esse contritum, neque ex sola rei natura, aut generali ratione sacramentorum aliud ostendi potest, neque etiam inuenimus de hoc sacramento latum esse speciale præceptum, ut confessio ante illud præmittatur, sicut in Eucharistiæ factū est. Altera vero pars probatur: quia cum sacramentum sit executum de hac vita, supponit hominem iam in extremo moris

articulo, in quo necesse est omnia peccata mortalia confiteri, & ideo per se antecedit confessio: quia semper id præmittitur, quod maxime necessarium est: & quia necessaria est gratia dispositio, quæ certius per confessionem comparatur. Vnde si aliquando tantum esset periculum, vt timeretur non esse futurum tempus ad vtrumque sacramentum suscipiendum, confessio esset omnino præmittenda. Imo etiam addo, etiam si timeatur non esse futurum tempus vñctioni, si confessio integre fiat, non ideo esse dimidiandam, sed perfecte absoluendam, & vñctiõ suscipiendam, & postea si tempus fuerit, vñctio recipiatur. quia tam confessio, quam integritas eius est per se necessaria, prius autem sunt necessaria adimplenda, postea vero quæ vñctio tantum sunt.

Nihilominus tamen, si contingat, aliquem post confessionem, & susceptum viaticum peccatum aliquod mortale committere, nec possit commode sine aliqua nota confessionem præmittere, non peccabit suscipiendo vñctionem cum sola contritione, cum proposito postea confitendi peccatũ illud quia (vt suppono) moraliter loquendo non est periculum moriendi sine confessione illius peccati: & alioqui ex vi huius sacramenti non est necessaria præcedens confessio. Regulariter vero loquendo, consultius est in tali euentu præmittere confessionem: quia est securius, & moraliter nulla infamia vel nota generatur in eo articulo ex qualibet repetita confessione: imo hoc solet maxime circumstantes edificare: quia si culpa fuit publica est optimum exemplum, & eo tempore fere necessarium, quod statim fiat confessio: si vero peccatum fuit occultum, nemo illud prudenter suspicabitur propter confessionem interlatam: nam in eo articulo sunt aliz quam plurimæ occasiones iterandi confessionem.

Sunt autem qui censent, quando sacerdoti constat infirmum de nouo peccasse mortaliter, nõ posse feliciter illi dare hoc sacramentum, nisi confessionem præmittat, argumento sumpto ex Innocentio 1. epist. 1. capit. tertio, vbi ait, penitenti non esse dandum hoc sacramentum. Veruntamen Innocentius non de hac re loquitur, sed de publicis penitentibus. Quare non esse id esse per se præceptum ipsi sacerdoti, sic enim penitens ad id non tenetur, vnde obligabitur sacerdos, si videat signa contritionis, & positum confessionis absque morali periculo moriendi sine illa: & præsertim si aliqua rationabilis causa occurrat differendi confessionem, ne videlicet detur hic & nunc aliqua occasio manifestandi peccatum, vel quid simile. Prudentia igitur sacerdotis hoc relinquendum est, vt & confessionem præmitti procuret, si commode potest, & non nimium molestus sit, sed credat infirmo suam contritionem ostendenti. Denique hæc omnia de culpa sola intelliguntur: nam, si antecedit etiam censura excommunicationis, huius absolutio omnino præmittenda est, & à quolibet sacerdote dari potest in eo articulo, si necessarium sit, & penitentia signa ostensa sint, vt latius in propria materia dicitur.

SECTIO II.

Quæ præcepta seu obligationes ad ministrum huius sacramenti pertineant.

Supposita distinctione superius data de præceptis, quæ ad ministrandum ipsum sacramentum, vel ad modum eius pertinent. Dicendum est primo, solos parochos teneri, per se loquendo, ad hoc sacramentum ministrandum. Quod enim illi teneantur, constat: quia ex officio, atque adeo ex iustitia tenentur suas oves pascere; ergo ordinaria remedia salutis præbere, qualia sunt sacramenta. Dicit fortales aliquis, Parochum non teneri ad ministrandum quibus omnia, quæ vñctio eis sunt ad salutem, sed tan-

cum necessaria, alioqui esset intolerabile onus parochorum; hoc autem sacramentum non est ad salutem necessarium, sed tantum utile, vt dictum est. Respondetur, falsum esse antecedens ita vniuersè sumptum: esto enim nõ teneatur Parochus ex præcepto, & obligatione rigorosa omnia media vñctio ad subditorum arbitrium ministrare, quod merito censeri posset intolerabile onus, quodq; nulla sufficienti ratione ostendi potest: tamè falsum est solum teneri ad necessaria ministranda, vt supra tractando de Pœnitentiã diximus: quia id etiam esset magna detrimentum fidelium, & contra debitum pastoris munus. Tenentur ergo eis ministrare ordinaria remedia, quæ Christus pro omnibus fidelibus reliquit, & quæ sunt in ordinario vsu Ecclesiæ, quando opportuno tempore, & secundum rectam rationem petuntur: vnum autem ex his est hoc sacramentum in graue infirmitate applicatum, vt per se constat. Quare non est dubium quin Parochi ad hoc teneantur ex officio, & consequenter grauius peccent, si illud negent, aut notabiliter differat cum morali periculo infirmi. Atq; hæc est communis sententia Doctorum, & Summistarum, tam in materia de sacramentis in genere, quam de singulis disputantes, quatenus suscipientibus necessaria non sunt: vt constat ex supra dictis de Confirmatione, & Confessione, & de hoc in 4. d. 28. & Summistis in hoc verbo. Victor in Summ. n. 145. Nauar. c. 24. n. 13.

Supereft probanda alia pars exclusiua, qua diximus, solos parochos ad hoc teneri. Per quam in primis non omnino excluduntur Episcopi, quia pastores etiam sunt animarum, & ex iustitia etiam obligantur earum curam habere: & ideo, licet proxime pertineat hæc obligatio ad parochos, qui sunt Episcoporum coadiutores: tamen, illis deficientibus, redit obligatio ad Episcopos, qui proinde tenentur, vel providere quibus per alios, vel certe per se ipsos id præstare, nisi fortasse aliis iustis de causis excusentur, quod est per accidens; obligatio enim per se illi inest. Deinde solum excludimus obligationem per se, & ex officio, & ita res est clara: quia alii, qui tale munus non habent, non est vnde dicto modo obligentur. Quamquam ex accidentibus, & ex charitate nõ repugnet interdum obligari, si proximus in extrema necessitate sit, & non adsit Parochus, quia tale ministerium exergere possit. Eritque clarior hæc obligatio, si proximus non sit capax alterius sacramenti propter repentinam mortem, & omnipotentiam confidendi, &c. quia tunc reuera est vere extrema necessitas. Veruntamen, etiam si alia sacramenta receperit, existimo charitatem obligare ad hoc sacramentum ministrandum: quia necessitas illius existimari potest grauis, ergo si absque magna difficultate, vel incommodo potest sacerdos subuenire proximi necessitati, profecto tenetur.

Addendum vero hic est, & aduertendum, sacerdotem simplicem seu non parochum, non solum non teneri, verum, etiam neque posse licite hoc sacramentum ministrare sine licentia parochi: quia vt supra dicebam hoc est officium pastoris, quod vsurpare propria autoritate & in materia adeo graui, graue peccatum est, atq; ita docent Doctores omnes. Quia rament in hoc ministerio iurisdictionis non est de substantia sacramenti, neque per se principium illius, sed conditio necessaria vt recte fiat: ideo dicunt aliqui necessarium non esse, vt hæc sit semper expressa, sed interdum posse sufficere interpretatiuam, aut præsumptam. Ita tenet Soto dist. 23. quæstione secunda, articulo primo, Sylu. verb. Vñctio extrema, quæstione quarta. Sed hi auctores reuera solum censent hæc rationem locum habere in prædicto casu, quando infirmus in necessitate existit, & parochus abest, nec potest facile aut sine periculo, vel vocari, vel moueri: atque ita multi loquuntur. Ego vero in

Solutio

Victor. Nauar.

Simplicem sacerdotem non posse sine licentia parochi hoc sacramentum ministrare.

Soto. Syluest.